

## Theorema Tertium.

Quanto autem magis in hanc sententiam descendendum erit, quoties animadvertamus, ne ipsis quidem Ecclesiæ primitivæ temporibus nunquam defuisse, immo supra ceteros abundasse, qui illum non solum tradidere, sed & meliorem, sacrisque Literis, & beneficæ Dei nostri naturæ ac voluntati congruentiorem censuerunt? Si quid discriminis in eorum dictis occurrit, uti videbimus, de æternæ potius Felicitatis Loco, quam de ipsa Felicitate fuit. Quare nihil est, quod Burnetus pro sua opinione antiquos Patres proferat. Proferimus & nos, & quidem longe plures, atque hac in re fide & veneratione majori dignos; usque adeo, ut is contentus deprehendatur inter sacras Literas, quarum verba attulimus, & Patres ipsos, ut ipsi quoque Adversarii, si forte opus sit, habitari sint, unde a Burneti Novatoris opinione longius avertantur, & in antiqua Catholicæ sententia perstandum judicent. Catholicis enim nihil heic dubitationis restat, ex quo Ecclesia falli nescia suum interposuit solemne decretum. Age vero in veterum examen, quo nos Burnetus vocat invadamus.

## C A P. VII.

*Sancti Clementis I. Papa Ignatii Antiochenus Episcopus, Polycarpus Episcopus Smyrnenfis, Ecclesia iidem Smyrnenfis, testes minime procrastinate Beatitudinis Sanctorum.*

ET primo pro se Burnetus laudat *Sancti Clementis Rom. Pontif.* qui Ann. Christi c. coronam Martyrii assequutus est, Epistolam i. ad Corinth. ubi cap. v. Apostolus Paulus *Martyrium passus* dicitur, *Uta e Mundo migravit* (καθὼς τὸν ἄγιον τόπον ἕπομαι) *atque in Locum Sanctum abiit.* Et infra cap. i. ejusdem Epist. addit: *Generaciones omnes ab Adam usque in hodiernum diem præterierunt. At qui per Christi gratiam consummati sunt in Caritate, habent μέρος ζωῆς αἰώνου, qui manifestantur in visitatione Regni Christi.* Nullum, inquit Burnetus, heic tummi Cœli, nullum visionis beatificæ verbum. Dicit dumtaxat *Locum Sanctum, Locum Piorum.* Utique hoc dicit, sed satis adversus Novatores dicit. Nam quid aliud est *Locus Sanctus*, nisi Cœlum ipsum, in quo habitant & habitaturæ sunt Justorum Animæ, quarum gloria in adventu glorioso Christi Manifestabitur? *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in Loco Sancto ejus? innocens manibus & mundo corde &c.* inquit Psalmista xxii. 3. Ut ut hæc terrestrem Hierosalem, ac Templum Domini significare velis, sublimiori tamen sensu significant apud Patres *Hierusalem Cœlestem, qua versu Hierusalem est*, ut ait Eusebius Lib. iv. Demonstration. Evangelic. Certe aliud significare non possunt, dum de Justis vita fundis sermo habetur. Horum nempe Animæ in *Montem Domini* ascendunt, id est in